



1. *Musei s. Joh. diff. in Epist. ad Romanos Cap. IX. v. 19-23. Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena. Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesiae. Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis, Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo, Helmst. 1669.*

12, 14
DISTVTATIO DECIMAQVARTA,
EX EPISTOLA PAV-
LI AD ROMANOS, PROPONENS
ἀνάλυσις capitis duodecimi.

Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia,

PRÆSIDE DAVIDE RVN-
GIO S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSO-
re in Academia Vitebergensi, in collegio disputa-
tionum Theologicarum privato, defenso
det 2. Aprilis

M. VVOLFFGANGUS STAR, IUDENBUR-
gensis Styrius.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.

ANNO M. D. IIIC.



ILLVSTRIBVS,
GENEROSIS, NOBILIS-
SIMIS ET MAGNIFICENTISSI-
mis Dnn., Dnn. inclytæ Styriæ Proceribus : ac
Dominis Ordinarijs ; restauratæ religionis af-
fectoribus & defensoribus cum pijsi-
mis tum acerrimis, Dominis &
Patronis suis clemen-
tissimis,

*Sacram hanc ^{euχιστηριον}, cum primis contra Papi-
colarum de bonis operibus, quisquiliis strictam,
eâ, quâ par est, animi submissione, in debita
gratitudinis & observantia symbolum
offerre, nuncupare, & consecra-
re voluit, debuit,*

M. VOLFFGANGVS STAR,
Fudenburgensis Styrius.

CAPUT DUODECIMVM.

Absoluta tractatione aliquot insignium locorum doctrinae de peccato, iusticia, sanctificatione, spe, reliquijs peccati in renatis, usu Legis, deq; praedestinatione sanctorum & reprobatione incredulorum Iudaeorum, deinceps reliquam Epistolae partem ad officia charitatis Deo & proximo debita, describenda & inculcanda refert Apostolus: In qua tractatione pro personarum *Summa* ac negociorum differentia non minor sese offert rerum varietas, *postremae* quam in praecedentibus. Nam & donorum distinctio in considerationem venit & officiorum discrimen, quo alij Magistratus personam sustinent, alij Subditorum. Ad haec in Christianorum conversatione quidam sunt fortes in fide, non pauci infirmi, & hi quidem aliter tractandi quam illi: Fovenda praeterea tenuiorum inopia & sublevanda Eleemosynis: Haec & similia a capite Duodecimo ad finem usq; eleganti ac gravi orationis genere persequitur Apostolus: Et praesenti quidem capite disputationem istam exorsus, Primò de necessitate novae obedientiae, tum de recto usu diversorum Dei donorum in Ecclesia, Deniq; de communibus officijs pietatis & caritatis erga Deum & proximum, luculenter disserit.

PRIMA PARS.

Orditur tractationem de bonis operibus à *καρῶν*, necessitatem eorundem aliquot argumentis inculcante & modum *γενικῶς* perstringente: Non est enim necius Apostolus, quam natura hominum etiam renatorum, propter ignaviam veteris Adami penitus ipsis medullis haerentem, ad studium pietatis torpescat. Propositio itaq; primae partis est: *Omnibus per gratiam Iesu Christi renatis & iustificatis, bona opera praestanda sunt:* *Propositio*

Hanc Paulus singulari varietate circumloquitur, v. 1. & 2. Praebete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, Transformamini renovatione mentis vestrae. Emphasis est in voce *μεταμορφώσεως*, quae totalem mentis per peccatum, corruptionem, ejusdemq; renovationem, & mutationem *Transformatio* quasi in aliam formam, per Spiritus sancti gratiam inivit. *mentis.*

Argumenta confirmandæ *θεσεως* evidentissima sese in textu offerunt: Primum ab Apostolica autoritate petatum, ac triplici amplificatione exornatum, v. 1. Obsecro vos: Poterat id Apostolus docendo, poterat præcipiendo proponere, sed mavult hortando obsecrandoq; , quò altius monita ab Apostolo & Legato Christi profecta animis infigantur.

I. Ratio.

Sed & altera amplificatio à persona auditorum petita benevolentiam eorum & inobediendo promptitudinem conciliare potest: dum eos *fratres* appellat.

Preces

mentione

rei charis-

sime insti-

tute.

Tertia deniq; omnium efficacissima est, inferens mentionem misericordiæ Dei: Non insolitum est rogantibus, facere rerum earum, quæ in precio habentur ijs, ad quos petitio directa est, mentionem: Ita hoc loco Apostolus obsecrat per misericordiã Dei, quam justitiæ & salutis causam principem Romanis curæ & cordi esse non ignorat. Faciunt hæc in Exordio posita simul ad attentionem excitandam, & autoritatem tractationi sequenti de bonorum operum studio, quam nimirum tanto conatu Apostolus orditur.

II. Ratio.

Christiani

sunt Sa-

cerdotes.

Secunda ratio ab honesto: Renati per gratiam Spiritus sancti sunt regale sacerdotium & gens sancta, 1. Pet. 2. v. 9. seu ut Apoc. 1. v. 6. dicitur, sunt facti à Christo Reges & Sacerdotes. Ut igitur Sacerdotum fuit offerre hostias Deo: Ita renatorum omnium officium est Deo hostias offerre.

Hostiæ

piorum.

Quænam eæ sint, per tacitam *ἀντίθεσιν* victimarum, à veteris Testamenti Sacerdotibus oblatarum, explicat: Olim enim Sacerdotes offerebant Deo corpora brutorum: Sed Christiani jubentur propria sua corpora offerre: Illi mactata corpora altari imponebant: Hi non jubentur se enecare, sed propria corpora Deo viventia offerre: Illorum victimæ erant legali ritu sanctificatæ, sed horum corpora sunt verè sanctificata, & lota sanguine Christi. Talem victimam affirmat Deo placentem esse.

Quid sit

hostia vi-

va & san-

cta N. Te

stamenti.

At quærat fortassè, quam ratione quispiam corpus suum vivum Deo in victimam sanctam ac placentem possit offerre.

Respondet Apostolus, se per hostiam illam nil aliud intelligere, quam τὴν λογικὴν λατρείαν Romanorum. Vox *λατρείας* hoc loco de cultu Dei intelligatur, & continet tacitam antithesin

thesin externi cultus Dei in Veteri Testamento. Videtur enim
 mactatio brutorum & oblatio quodammodo ἀλογὸν λατρεία,
 ratione videlicet rerum oblatarum, non respectu offerentium,
 qui non minus λογικὴ λατρεία Deum coluerunt, quàm renati
 in Novo Testamento. Hi verò ab externo illo cultu liberati,
 cultum Deo exhibere jubentur Rationalem, qui non idè sic *Rationalis*
 appelletur, quòd ad rationis nutum sit conformandus: Ea enim *cultus*
 cœca est in rebus divinis, sed quòd mente à Spiritu sancto illu- *quid sit.*
 strata peragatur.

Tertia ratio est ab inhonesto: μὴ συχματιζέσθαι τῶν αἰῶνι
 τούτων: Turpe est Dei filios vivere secundū schema mundi, qui *III. Ratio.*
 est Diaboli domicilium. Quale autem illud schema sit, supra *Schema*
 Roman: 7, plenius fuit explicatum, & paucis perstringit Ioh. *mundi fu-*
 1. Epist. cap. 2. v. 16. dicens: ἡμεῖς κόσμος esse in concupiscen- *giendum*
 tia oculorum seu avaritia, concupiscentia carnis seu voluptati- *pis.*
 bus, & superbia vitæ contra Deum & proximum.

Quarta ratio à causa finali: ut probetis quæ sit voluntas *IV. Ratio.*
 Dei bona, beneplacita & perfecta: Ea autem non est, ut ver- *verò Chri-*
 bis tantum pietatem profiteamur, quòd hypocritarum esse *stianismus*
 conqueritur Dominus apud Esaiam capite vigesimo nono, ver- *non est in*
 su decimo tertio: Nec ut nobis ipsi fingamus modum colendi *verbis, sed*
 Deum minimè illi placentem. Matth. 10. Sed ut totius vitæ *in opere.*
 obedientiam juxta Legem Dei, (quantum in hac naturæ fra-
 gilitate fieri potest) conformemus.

Et hæc de primæ partis ἀναλύσει dicta sunt.

Quia hoc capite doctrina de bonis operibus tractanda
 venit, ne prolixitate nimia lectori molestiam creemus, Aposto-
 lum κατὰ πόδα sequemur: Atque ex hac prima περικοπῇ duo
 capita hujus doctrinæ consideranda proponemus, quorum
 prius de necessitate bonorum operum, posterius de corrup-
 tum norma agit,

A 3

Ans.

I
*An bona opera renatis necessario præstanda
sint, & qua sit illius necessitatis ratio,
quæve causa.*

I.

Non minus impudens quàm trita Monachorum Iesuiticorum criminatio est, Evangelicos bona opera non modo parvi facere, sed etiam prohibere.

II.

Bona opera non sunt parvi aestimanda, Multo minus prohibenda, At nos contra sonora voce, Eum, qui vera pietatis & charitatis opera parvi facit Christianum non esse, qui prohibet ex Spiritu Satanæ loqui profiteamur. Quis enim ejus foret audaciam, qui prohibere ausit quod Dominus præcepit? quis tantæ impudentiæ, qui pauci pendere, quod Christus maximo commendavit opere?

III.

Nos verò contra asserimus *Bona opera maximi Christianis esse aestimanda, & necessario ab omnibus præstanda*: Quod si semel dictum Iesuitæ non audiunt, sexcenties sibi ingeminatum putent.

IV.

Argumenta necessitatis prudenter discernenda. Addimus & hoc, nihil à Spiritu S. pro bonorum operum necessitate dictum esse, imo nihil ab ipsis Iesuitis, pontificiorum idolorum incunctoribus, pro bonorum operum necessitate [excepto meriti & justitiæ argumento à Scripturæ sententia alienissimo] dici tam splendide & copiose posse, quod non ambabus ulnis amplectamur ac probemus.

V.

Argumenta à merito sunt nullius precij. Quo minus autem id genus argumentorum probemus, quibus hoc potissimum medio Novæ obedientiæ astringitur necessitas, quod in ea consistat vel ex toto vel ex parte nostra coram Deo justitia, quodq; mereatur gratiam Dei & vitam æternam, id expressa Spiritus S. faciunt oracula, opinionem hanc Romanæ Babylonis penitus evertentia.

VI.

Tria fundamenta re futationis. Nam ut rem brevissimè complectamur, Nec vitæ æternæ talis est conditio, ut eam operibus nostris promereri liceat: Nec

Nec operum nostrorum ea est ratio, ut in tanto thesauro acqui-
rendo quicquam valeant; Nec Legis promulgatae ea mens est,
ut homines à Christo abductos ad vitam per opera consequen-
dam invitet.

VII.

De vita aeterna inquit Apostolus, quod donum Dei sit in
Christo Iesu Domino nostro: Rom 6. v. 23. Vbi vox doni innu-
it caelestem gloriam proprie ac πρώτως pietatis nostrae non esse
praemium debitum, sed gratuitum donum. Arguit item anti-
thesis Paulina conferens peccatum & Christum Iesum mortem
& vitam aeternam: Peccato datur mors pro stipendio; Sed vita
aeterna est χάρισμα θεῶν.

Primum
genus ar-
gumētoria
contra me-
rita ope-
rum.

VIII.

Si Pontificius fuisset Paulus, tum talis illi constituenda
antithesis: Ut peccato datur mors stipendij loco, ita operibus
pietatis datur premium vitae aeternae: Sed contrarium diserte
pronunciat textus; cui consentit locus Christi Math. 25. decer-
nens vitam aeternam non esse stipendium, sed haereditatem,
benedictis Dei Patris paratam. At haereditas non debetur ser-
vis mercenarijs, sed filijs jure natiuitatis, non propter opera.

IX.

Id ipsum ostendunt dicta quae gratis nos salvari testan-
tur, ut Eph. 2. v. 8. Gratis salvati estis per fidem, & hoc non
ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur
Rom. 3. v. 28. Concludimus justificari hominem per fidem sine
operibus.

Gratis sal-
vatur
Nō igitur
operū no-
strorum
merito.

X.

Atque hic valet Paulina antithesis Rom. 11. v. 6. Si ex
gratia salvamur, Ergo non ex operibus, alioquin gratia jam
non esset gratia. Si ex operibus, Ergo non ex gratia, alioqui
opus non erit opus. Ita nimirum Apostolus illa vult esse oppo-
sita, ut vno posito alterum necessario corruat.

XI.

Frustra igitur Pontificij partim gratia & misericordia Dei,
partim operibus eorumque meritis salutem se consecuturos arbi-
trantur aeternam, cum illa duo simul in eodem actu subsistere
teste Apostolo nequeant.

Mixtura
gratia &
operum in
negotio
salutis est
impossibi-

Ad us.

*Christi so-
lius opera
meretur
vitā eter-
nam cre-
dentibus.*

XII.

Ad hæc solius Christi operibus & perfectissimæ satisfac-
tioni ea laus debetur, quod ea vitam promeruerint æternam,
idque non ipsi Christo, quippe cui hæreditas æterna jure ante
debeatur, sed nobis: Promittit enim lex vitam perfectè obe-
dientibus Luc. 10. v. 29. Lev. 18 v. 5. At Christus solus id præ-
stitit Gal. 4. v. 5. Solus itaque vitam obediendo meruerit.

XIII.

Quæcunq̄ue igitur vel suis vel aliorum hominum meri-
tis hoc in censu adversarij vendicant, ea gloriæ ac merito Chri-
sti detrahunt: Cumq̄; ille Vnicus ac solus sit mediator inter
Deum atq̄ue homines 1. Tim: 2. v. 5. Ipsi se ipsos in Christi lo-
cum ex parte substituunt, & labore alieno partam gloriam in
se transmovere horrendo sacrilegio nituntur.

XIV.

*Secundū
caput ar-
gumentorū
contra o-
perū me-
rita.*

Operum porro nostrorum ea est ratio, ut si penitus ea
scrutari velimus pudere papicolas merito debeat superbæ as-
sertionis, qua operibus salutem æternam deberi superbe pro-
nunciant.

XV.

*Legis per-
fectio.*

Nam si vniversa consideres hominis acta, invenies ea
nequaquam exactè congruere ad Legis normam, obedientiam
perpetuam ac minimè interruptam requirentis. Neque enim
Lex Dei vult, ut semel tantum toto vitæ tempore Deum &
proximum perfectè diligas, sed ut id fiat à primò vitæ spiritus
ad extremum usq̄ue halitum.

XVI.

*Opera no-
stra sunt
mutila.*

Talis autem obedientia in neminem hominum [Christo
excepto] cadit: Quis est enim homo qui non peccat? 1. Reg. 8.
Et Iohannes inquit 1. Epistola 1. v. 8. Si dixerimus quoniam
peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & non est veri-
tas in nobis. Nemo itaque operibus suis vitam consequetur æ-
ternam.

XVII.

*Opera no-
stra sunt
imperfe-
ta.*

Præterea opera nostra etiam optima, quia fluunt ex
fonte nondum planè purgato à sordibus peccati inhaerentis, si-
mul aliquid contrahunt maculæ ac vitij, quod non modo ip-
sum venia indiget, Sed opera quoque ita inficit, ut à Legis nor-
ma

norma perfectissima aberrantia vim promerendi vitam æternam amittant.

XVIII.

Lex Dei enim inquit, Hoc fac & viues Luc. 10. non quaecunq̄ intelligit *ῥῶτῆν*, non semiplenum atq̄ imperfectum, non sordidatum opus peccatorum maculis: Sed perfecte mundum, sanctum, purum, ab omni labe alienum. *Lex sincerissimam flagitat obedientiã.*

XIX.

Omnia verò etiam renatorum bona opera esse quadantenus immunda, & ne sanctorum quidem obedientiam ex plenè purificato corde promanare, id non quidem hypocritæ & Iesuitæ turgentes & tumentes proprijs meritis, sed tamen verè sancti viri luculentè testantur.

XX.

Esaïas inquit cap. 8. Væ mihi Domine, quia pollutis labijs sum, & in medio populi corrupta labia habentis habito: David quoq̄ suum addit calculum Psal. 14. Non est qui faciat bonum, ne vnus quidem: Huic subscribit Salomon Prov. verb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum, & purus sum à peccato. *Sanctorũ opera bona sunt polluta.*

XXI.

Tota deniq̄ Ecclesia id agnoscit: Esa: 64. Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatae sunt vniuersæ iusticiæ nostræ. Diligenter in hoc dicto ponderandum, quod sancti non de sordibus & peccatis suis agunt, sed de iusticijs seu rectè ac iuste factis: Quæ tamen pessimè sordidata esse ingenuè profitentur.

XXII.

Si quisquam est, qui renatus Spiritu novam obedientiam Deo præstare juxta Legem conatus unquam fuit, in his noster Apostolus nomen profitetur suum, quippe, qui de conscientia suæ puritate non semel in Domino gloriatur 2. Cor. 1. v. 12. 1. Cor. 4. v. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus. *Pauli obedientia imperfecta est.*

XXIII.

Atq̄ nihilominus idem Apostolus disertè fatetur istam suam obedientiam perfectioni Legis nequaquam respondere, eo quòd ex fonte impuro promanet: Lex, inquit, spiritualis est, Ego carnalis venundatus sub peccato Rom. 7. Volenti mihi

B

bonum

bonum operari, adjacet malum: Invenio aliam legem in me re-
pugnantem Legi mentis meae, & captivantem me peccato. Hinc
Augustinus inquit: Charitas quantumcunque in hac vita cre-
scat, non pervenit tamen ad illum gradum, de quo loquitur,
Extoto corde: Et non concupisces. XXI V.

In Epistola ad Hieronimum. Tot itaque praestantium Virorum testimonijs planum
factum est, opera renatorum in hac vita nunquam esse perfecte
bona & sancta, ad amulsim Legis congruentia, sed illis subinde
immundis aliquid adhærere labis, unde fit, ut meriti vim omnem amit-
operibus tant, atque ipsamet coram sanctissimo Dei conspectu venia
non acquiritur vitæ æternæ thesaurus, sed purissima perfectissimaque, qua-
ritur vita eterna. lis est solius Christi ut supra dictum.

XXV.

Quomodo renatorum opera sint munda. Interim tamen, dum opera renatorum omni ex parte per-
fecta atque integra esse negamus, eadem munda sancta ac Deo
placencia esse non diffitemur: pura enim & sancta sunt puritate
imputata, & sanctitate inchoata. Placent Deo non propter suam
dignitatem, ac perfectionem, sed propter personam placen-
tem ac reconciliatam Deo per Christum: Ut ita sicut persona
ipsa Deo per & propter Christum accepta est, ita quoque bona
eiusdem opera teste Petro 1. Pet. 2. v. 5. Offerre Deo spiritua-
les hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Sunt itaque
opera ista immunda per se, & tamen reputantur pro mundis &
sanctis propter personam placentem.

XXVI.

Quare cum opera nostra sint manca & mutila, sintque in-
super peccatorum sordibus aspersa, vanum est Papicolarum
figmentum, quo huiusmodi operibus salutis æternæ meritum
acceptum ferunt.

XXVII.

Tertium capitulum argumetorum contra operum merita. Addamus colophonis loco & hoc, ex Legis natura peti-
tum: De hac Paulus ait, quod inculcans opera eisq; vitam pro-
mittens, id non eò faciat, ut nos per imperfecta nostra opera iu-
stificari doceat, sed ut agnita nostra imbecillitate ad Christum
adigat: Non est enim lex data ut vivificet Gal. 3. v. 21. sed pro-
pter transgressiones posita est, donec veniat Christus v. 19. &
Coacer. oriatur lucifer in cordibus nostris, Rom 8. v. 3. & Rom. 5. v. 20.

Gal. 3.

XXVIII.

Coacervant quidem Pontificij multa dicta, in quibus pijs magna in caelis promittitur merces. Non negamus, imò eandem sperare atque intueri pios benè operantes jubemus: Sed inde non consequitur, quod ipsa caelestis gloria nobis detur propter opera à nobis facta. Fallacia est τὸ ἐπομένον.

Confutatio aliquot rationum Monasticarum.

XXIX.

In voce quoque mercedis, non est nihil in quo errorem adversarij committant; illi enim in hisce testimonijs de mercede debita, nos de gratuita remuneratione intelligimus: Cum inter opus & mercedem debitam ἀναλογία interveniat: In sacris verò ea ratio sæpius cesset: Ut cum Deus Abrahamo inquit: Ero merces tua magna nimis: At quodnam potest esse opus, cui Deus ipse debeatur mercedis loco? Nullum certè. Ita hæreditas est pietatis in filio erga parentem luculenta merces.

Ratio Merces pro gratuita compensatione.

XXX.

Denique qui mercedem sibi dari exigunt, hi mercari quodammodo cum Deo videntur, quasi is vitam æternam in medio vendibilem exponat, multis operibus Iesuitarum redimendam: Ac si propria illorù opera non sufficiant: sunt enim plerumque nigro similima cygno, tum aliunde arbitrantur paranda subsidia, quo voti reddantur compotes. Ita nimirum Deus immittit illis efficaciam illusionis, ut credant mendacio, qui veritati credere nolunt.

Stultitia Monarchorum vitam æternam ementium.

XXXI.

Dictum satis est pro instituti ratione ad retundendam adversariorum impudentiam, fingentium ideo opera renatis præstanda esse, ut justiciam & salutem æternam iisdem acquirant. Hoc dum negamus non idcirco bona opera necessaria esse negamus.

XXXII.

Sunt enim aliæ causæ eæque gravissimæ, quarum consideratio singulos ad novam obedientiam pro ea facultate, quæ in hominem cadit maxima diligentissimaque præstandam, invitare debent ac possunt. Harum aliquas ex textu præsentis repetemus: Prima est mandatum Dei in lege patefactum, & per Prophetas, & Apostolos sæpius reperitum. Singuli autem mortales necessariò Deo creatori tenentur obedientiam præstare.

Vera doctrina de necessitate operum.

XXXIII.

Facit huc Apostoli nostri præsens commonefactio diligentissima ac fraterna, per miserationes Dei ad omnes Christianos instituta, & in Epistolis alijs passim inculcata, quam pia mens, cui salus æterna curæ est, parvi æstimare aut negligere minimè debet aut potest.

XXXIII.

2. Ratio
ex textu.

Accedit insuper consideratio vocationis & officij nostri; Vocari enim sumus ad agnitionem Servatoris nostri Christi, & adoptati in filios Dei per gratiam: Quare omninò necesse est, vitam vocationi & ordini nostro congruentem ut agamus.

1. Ep. cap.
3. v. 8. 9.

Omnis, qui ex Deo natus est, inquit Iohannes, peccatum non facit (quatenus nimirum est renatus) sed qui facit peccatum, ex Diabolo est.

XXXV.

3. Ratio
Pauli in
hoc textu.

Nec minus est ponderis in argumento, quod à turpi Apostolus infert: dum monet: Non decere renatos ut *χῆμα* hujus mundi gestent. Est autem mundus hic Diaboli hospitium & regnum, ac multorum impiorum hominū receptaculum, quorum *χῆμα* admodum est deforme & fœdum in oculis Dei: Quare renatis necessariò fugiendum,

XXXVI.

Periculū
amissionis
gratiæ.

Eadem quoque ratio periculū magnitudinem testè insinuat, quòd monet omnes, quotquot secundum schema hujus seculi vivunt: Si secundum carnem vixeritis, inquit Apostolus Rom. 8. moriemini: si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

XXXVII.

Præstanda itaq; necessariò sunt bona opera, ut retineamus fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 18. Vitemus pœnas temporales & æternas; & consequamur præmia in hac & futura vita, 1. Tim. 4. v. 8.

XXXVIII.

Fides justifi-
cans nū-
quam est
charitate
vaga.

Ac ut impossibile est calorem ab igni separare, ita fieri non potest, ut vera fides charitate vacua sit; per eam enim est *ἀγάπη*, Gal. 5. v. 6, quæ efficacia profert se in operibus erga proximum.

XXXIX.

Atque ut alia est vis lucendi in igne, alia urendi (neque enim

enim utraq; æquè latè se profert) ita alia est fidei justificantis
ἐπίγνῶσις, qua Christi meritum amplectitur, & promissionem
remissionis peccatorum sibi applicat, & hominem justum ac
beatum reddit: Alia qua per charitatem erga proximum suum
operatur, qua justiciam veram declarat ac testatur apud alios.
Bona enim opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur
justificatum. Quo sensu Iacobus hominem ex operibus justifi-
cari, hoc est, apud alios justum declarari, dicit Iacob. 2.

Duplex
ἐπίγνῶσις
fidei.

XL.

Tandem quæstionem hanc concludimus tali axiomate:
Renatis, qui verè tales sunt, bona opera necessariò præstanda
sunt, nisi gratiam Dei, Spiritum sanctum & fidem amittere, &
in æternum velint perire.

Corollarium.

Necessitatem operum dum urgemus, non violentam aut
coactam intelligimus obedientiam; justorum enim spontanea
est, sed necessitatem ordinis & mandati. Quod contra calu-
mniatores addendum fuit.

Necessita-
tis vox ex-
plicatur.

II.

Quanam sit bonorum operum regu- la ac norma.

I.

Postquàm quæstio de operum necessitate est expedita ac
decisa, confestim altera sese mentibus offert, quænam illa ope-
ra sint, quæ tanquam necessaria exiguntur à renatis, ac quo-
modò sint præstanda, ut Deo placeant.

II.

Nemo enim piorum est, quin facta sua Deo probari velit.
Estq; hic scopus omnibus in curriculo bonorum operum cer-
tantibus præfixus ὁ εὖ ἀγέειν: At, qua id ratione præstari que-
at, non est apud omnes uniformi sententia decisum ac con-
clusum.

Scopus no-
væ obedi-
entiæ.

B 3

Monachi

*Papistarū
somnia
de bona
intentione.*

III.
Monachi & Esavitæ fingunt: Quicquid bona intentione propter Deum & animæ salutem à Christianis suscipitur, id univèrsim Deo placere, & pro operum differentia meritorium esse.

*Opera Ie-
suitarum
meritoria,
Vide hist.
Iesuit. ord.
Hasenmul.*

IIII.
Ex hoc principio ortæ sunt peregrinationes ad Sanctorum reliquias & statuas, novorum ordinum novarumq; legum ac regularum inventiones, Monachatus ipse & tota Esaviticæ disciplinæ ratio, qua cloacæ & caligæ Patrum purgantur, spiritus scopantur, & flagellis corpus cæditur, tum privatim tum in publicis processionibus, stationibus, congressibus diurnis, nocturnis; aliâq; sexcenta hujus generis.

*Prisci Pa-
tres Iesui-
tarum.*

V.
Nec novum hoc inventum est, aut nuper in Ecclesia natum; sed à multis seculis multa usurpatione conservatum: Eadem enim Phariseorum fuit tempore Christi opinio: Eadem Iudæorum temporibus Moysi & Prophetarum sententia.

VI.
Principium hujus erroris ex humanæ rationis innata superbia ortum: quæ nequaquam patitur se intra cancellos legum includi: sed suo arbitrio Deum colere, ac se supra eundem collocare nititur. Et quod pestilentissimum est, totum id sub specie sanctitatis, bonæ intentionis & singularis dilectionis atq; amoris Dei suscipit.

*Cōfutatio
delirij Pa-
pistici de
bona in-
tentione.*

VII.
Extant autem hujus opinionis luculentæ ac plenæ confutationes, à Christo, Prophetis & Apostolis traditæ, ut mirandum sit, in Ecclesia ullum ei locum esse, vel unquam fuisse relictum: Hoc est enim quod Moyses dicit, Deut. 12. v. 8 & 32. Non facies quod tibi rectum videtur, sed quod Ego præcipio tibi, hoc tantum facito, non addas quicquâ, nec minuas ex eo.

VIII.
Esaias quoque cap. 29. v. 13. & Christus ex eo Matth. 15. v. 8. disertè rejiciunt, omnem cultum propria intentione, sine mandato Dei susceptum: Frustrâ me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. Paulus quoq; totum hoc genus cultum vocat *θελοδυσκοειαν*, & hypocrisios nomine condemnat. Col. 2, v. 23. Hoc

IX.

Hoc quoque textu jubet Paulus renatos, rationalem cultum præstare Deo volentes, probare, non quid sibi commodum aut rectum videatur, sed quæ sit Dei voluntas bona, beneplacens & perfecta. Dei itaque voluntatem nostrorum operum ac cultuum regulam constituit, non nostrum *δουλέμ*, non intentionem bonam, non Ecclesiæ decreta.

Dei voluntas est cultus regula.

X.

Vnde autem sciri potest, quæ sit voluntas Dei, nisi ex verbo patefacto & divina providentia atque opera literis consignato. Illa enim opinio Papisticæ catervæ, de verbo Dei *ἀγγελία* ex traditionibus addiscenda, & ab *ἐγγράφω* diversum sonante, jam dudum suo merito est explosa: Idem enim Evangelium quod Apostoli docuerunt, deinceps quoque literis mandarunt: Et ex magna concionum copia electa sunt, quæ scriberentur, quæ credentium saluti sufficere videbantur.

Dei voluntas discenda ex verbo scripto. Irenæus lib. 2. c. 46. Cyrillus lib. 12. in Iohan.

XI.

Verbum igitur Dei, & quidem literis comprehensum, voluntatem divinam, quæ norma est bonorum operum, plenè complectitur & regulam tradit omnium actionum, Deo placentium.

XII.

Cum enim alia ejus pars quid credendum, quidve credentibus sperandum sit: Alia quid agendum sit, docet; quarum illa Evangelij, hæc Legis venit nomine, manifestum est, si de voluntate Dei circa opera hominum certus esse cupis, hanc posteriorem consulendam esse.

Lex Dei norma operum.

XIII.

Nam & illud Papisticum figmentum de perfectioribus Evangelij operibus, deque consilijs Evangelicis, exulare jam pridem ex orthodoxa & catholica Ecclesia iustum est. Evertit enim naturam doctrinæ Legis & Evangelij: Hujus quidem, dum id in doctrinam operum transformat: Illius verò, dum sentit, Legem tantum requirere externam observationem mandatorum, & fingit quædam opera illis perfectiora, quæ Lex præcipit. De hoc figmento in fine capitis aliquid dicendum erit.

Figmentum monasticum de Consilijs.

Cum

XIIII.

Cum itaque nulla opera Deo placeant nisi secundum illius voluntatem facta : Ea verò Decalogo integrè comprehensa ac tradita sit, meritò is pro omnium operum norma habetur.

XV.

*Opera ex
Lege dis-
cenda.*

Huc faciunt testimonia Psal. 119. v. 115. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, & v. 133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Psal. 19. v. 8. Lex Domini perfecta est, illuminans oculos. Ezech. 20. v. 18. & 19. In præceptis meis ambulate, non in præceptis Patrum vestrorum, Matth. 15. v. 13. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

XVI.

Ipsa quoq; Lex Dei perfectè monstrat, quæ opera Deo placeant, & universam obedientiam internam & externam, nec non dilectionem perfectissimam erga Deum & proximum requirit, aded quidem ut nullum opus verè bonum ac Deo placens nominari queat, quod à Lege præceptum non sit, vel in genere vel in specie.

XVII.

*An in Eu-
angelio a-
liqua præ-
cipiuntur
opera.*

Monstrat quidem Evangelij vox aliqua peculiaria objecta, sed opera ipsa non exigit: Exempli gratia, Lex requirit fidem in omni Dei verbo, Evangelium verò Christum, quem Lex ignorat, tanquam peculiare fidei objectum proponit. Lex obedientiã in omnibus Dei mandatis requirit: Evangelium ostendit, Deum non velle quempiam perire, sed agnitis peccatis, in Christum credere ac salvari. Hæc media qui negligit, non tantum Evangelij vocem contemnit, sed simul reus est violatæ Legis, quæ nimirum sub maledictionis comminatione obedientiam erga omnia mandata Dei exigit.

SECUNDA PARS.

A Generali commonefactione, de novæ obedientiæ necessitate ac norma, transit Apostolus ad specialem commemorationem de differentibus donis Dei in Ecclesia, eorumq; usu & abusu. Esse in Ecclesia differentia dona, similitudine corporis & membrorum illustrat ac comprobat, eorumq; sex genera hoc loco recenset, ad Ecclesiæ gubernationem, institutionem ac sustentationem spectantia, Primum

Primum est Prophetia, seu donum interpretandi scripturas & eruendi mysteria abscondita in vaticinijs Prophetiis. Huius requisitum est, ut sit fidei analogica & cum tota doctrina Christiana summa rectè congruat.

2. Διακονία in administratione bonorum Ecclesiasticorum, *Donorum*
hæc fidelitatem requirit. *diversitas*

3. Διδασκαλία in erudienda juventute, vel docenda Ecclesia: *in Eccle-*
In hac spectatur diligentia. *sia.*

4. παράκλησις, in exhortandis atque excitandis segnioribus, nec non consolandis afflictis: In hac quoque vigilantia requiritur.

5. μεταδίδωσις, quam Paulus post misericordiam vocat distribuens ægris et verè pauperibus publicas eleemosynas: in hac exercenda commiseratione erga afflictos adhibere necesse est.

6. τὸ προϊσέναι, hoc est gubernationem, curam ac sollicitudinem exigens.

Non loquitur præcipuè hoc loco de Magistratu, de quo prolixè cap. sequenti agit, sed de differentibus donis, in Ecclesia, ac inter ea etiam recenset donum gubernationis, qua alicui committitur inspectio vnius aut plurium Ecclesiarum, non tantum in auditores, sed etiam in reliquos ministros ac doctores, quale officium Ephesi sustinuit Timotheus, ac Titus in Creta. *In post. Ec-*
Atque de talibus veris Ecclesiæ Inspectoribus ac gubernatoribus hunc locum Lutherus interpretatur. *clesiastica.*

Abusus horum donorum notatur v. 3. Si quis videlicet ad insolentiam & privatam cupiditatem eis abutitur, & nimis arroganter de se sentit, Vult enim Apostolus omnes σωφρονεῖν, modeste de se sentire, ac mensuram fidei sibi à Deo concessam rectè intueri.

Duo ex hoc textu consideranda veniunt, prius de donorum & officiorum in Ecclesia differentia: Posterius de recta scripturae interpretatione.

De donorum & officiorum in Ecclesia diversitate.

I. *C*
Doni voce hoc loco non denotamus ipsam Evangelij prædica-

Duplicia
Spiritus
Sancti
dona.

prædicationem, quæ nonnunquam sic appellatur: nec ea Spiritus Sancti dona, quæ omnibus salvandis necessaria sunt, qualia sunt regeneratio, fides, renovatio mentis: Multò verò minus generalia Dei dona, ut eloquentiam, sapientiam, pacem, abundantiam rerum necessariorum ad victum et copiam &c. quæ Ecclesiæ cum mundo sunt communia.

II.

Dona
quid s.

Sed χαρίσματα in hoc textu Pauli significant, peculiaria Spiritus Sancti dona, personis Ecclesiæ deservientibus ad utilitatem communem & ædificationem collata: Et nihil sunt aliud, quam facultas quædam, vis ac promptitudo dextræ & rectæ id in Ecclesia expediendi, ad quod vocatio vnumquemque sua obstringit.

III.

Esse talia dona in Ecclesia non modo hic textus, sed etiam alij consimiles luculenter docent: In priore enim ad Corinthios cap. 12. plena instituitur commemoratio huiusmodi donationum: Nec non Eph. 4. v. 7.

IV.

Dona à
Spiritu
S. sunt

Non oriri ea ex viribus humanis, nec tantum ex naturæ quadam nobilitate ac generositate ea resultare, sed ex Spiritus Sancti speciali donatione perspicuè testatur Apostolus: Ideo dicuntur χαρίσματα κατὰ χάριν δωδεσίου ἡμῶν Rom. 12. & 1. Cor: 12. v. 11. Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus dividens singulis prout vult.

V.

Et si autem ea non sunt vnus generis, sed diversa, ut ex iisdem patet locis: Tamen ad eundem finem directa sunt, nimirum Ecclesiæ οἰκοδομήν: Perinde ut in domus ædificatione non omnium operatorum iisdem sunt labores, sed omnes tamen ad ædificium absolvendum concurrunt.

VI.

Diversa
officia in
Ecclesia.

Porro donorum diversitas officiorum quoque infert diversitatem: Ideo enim dantur dona, ut labores vocationis facilius utiliusque expediantur: atque eam ob causam diversa sunt quia non vnum est officiorum genus ad Ecclesiæ conservationem necessarium.

Officio

VII.

Officiorum distinctio personarum quoque constituit *di. Persona-*
scrimen & ordinem, ut alij sint Prophetæ seu interpretes *rum di. se-*
Scripturæ, alij doctores Ecclesiæ & Scholarum, alij diaconi ad *rentia,*
ministrantes Ecclesiæ bona, alij *κωβερνῆται*, Inspectores & *ἑπο-*
got, quorum est videre, ut omnia decenter & ordine fiant, ut *Tit. 1.*
Ecclesijs idonei præficiantur ministri, & singuli laboribus vo- *1. Tim. 5.*
cationis suæ rectè præsent, utq; pax & concordia conservetur.

VIII.

Sunt quidem omnes ministri Evangelij pari potestate à *Æquali-*
Christo instructi, quoad docendum Evangelium, & admini- *tas omniū*
stranda Sacramenta: In his enim partibus ministerij, nullum est *ministro-*
vnius præ altero singulare quoddam privilegium, ut satellites *rū Evan-*
Romanæ beluæ diducant, qui Episcopis peculiarem in quibus *gelium.*
dam sacris administrandis potestatem, atque efficaciam tribu-
unt, quam reliquis parochis adimunt.

IX.

Interim tamen pro donorum diversitate, gradus in mini-
sterio differentes ab Apostolis sunt instituti, ne inter eos ordinis
confusio, turbis ac dissensionibus ansam daret.

X.

Negari enim nequit, Timotheum Ephesinæ Ecclesiæ &
vicinarum fuisse constitutum Inspectorem generalem, & qui-
dem tali armatum potestate, ut accusationes adversus presby-
teros audire, testimonia cognoscere & sententiam ferre potuerit
1. Tim. 5.

XI.

Eandem fuisse Titi vocationem, textus Apostolicus ma-
nifestè ostendit. *Tit. 1.* Te reliqui in Creta, ut ea quæ desunt cor-
rigas & constituas oppidatim presbyteros. Non fuit igitur cui-
vis presbytero proprium, quod Tito fuit peculiariter manda-
tum.

XII.

Appellationem Episcopi quod attinet, eam in scriptis
Novi Testamenti communem esse omnibus presbyteris, ex
multis locis patet. *Act. 20 v. 28. Phil. 1. v. 1. 1. Tim. 3. v. 2.*
Tit. 1. v. 7. Quo sensu rectè dictam ab Hieronymo, eundem
in Apostolicis literis presbyterum esse & Episcopum,

C 2

Postea

XIII.

Postea tamen cum in remedium schismatis unus electus caeteris praeponebatur, Ecclesiastica consuetudine & κατ' Ἔθος is, cui non tantum in gregem auditorum, sed etiam in reliquos compresbyteros inspectio commissa fuit, Episcopus dici coepit.

XIIII.

Vnde apud Eusebium quarundam Ecclesiarum primarum praecipui Episcopi recensentur, non quod plures non fuerint ibidem presbyteri laborantes in verbo, sed quod Ecclesiae recepta consuetudine reliqui tum non fuerint hoc nomine appellati.

*De recta ratione interpretandi
Scripturas.*

I.

Regula Apostoli diligenter est notanda: *Prophetia sit analogia fidei.*

II.

Prophetia Prophetia hoc loco non significat vaticinia de rebus venturis, sed scripturae sacrae interpretationem, ut ex 1. Cor. 14. v. 29. videre est. Prophetae duo aut tres loquantur, caeteri iudicent. v. 32. Spiritus Prophetarum. Prophetis subjecti sint. & v. 1. aemulemini spiritualia, magis autem ut prophetetis.

III.

Fides. Fidei vox in hoc dicto non significat fiduciam gratiae & misericordiae Dei propter meritum Christi conceptam, sed designat doctrinam seu religionem Christianam, ejusque integrum corpus. Vnde fidem abnegare dicuntur apostatae, 1. Timot. 4. v. 1. & 1. Tim. 5. v. 8.

IIII.

αναλογία. Αναλογία usitate proportionem seu rationis congruentiam notat. Inde translata est. significatio ad praesens institutum, ut analogia fidei sumatur pro harmonia & consensu omnium articulorum Religionis Christianae.

V.

Vt enim nota veri est, quod undiquaque sibi est consonum: Ita de religione Christiana recte potest idem affirmari: Atque hinc

hinc est illud veterum, quo fidem unam copulativā esse ajunt: *Fides est una copulativa.*
Qui enim in uno fidei articulo impingit in fundamentum, hic simul aliorum quoque veritatem labefactat, vel πρώτως vel επομένως.

V I.

Primum itaque ex hoc dicto liquet, esse quoddam prophetiae donum in Ecclesia, & extra eam id quaerendum non esse. Rom. 12. 1. Cor. 12. & 14.

V II.

Deinde id donum necessarium esse, ac proinde scripturarum sacrarum alicubi eam esse conditionem, ut ἐπιλύσῃ opus *Scriptura alicubi indiget explanatione.*
habeat. Etli enim quae scitu ad salutem necessaria sunt, perspicuis verbis passim in sacris literis traduntur: Tamen non idcirco omnis scripturae interpretatio, ut inutilis aut non necessaria, est rejicienda.

V III.

Tertio & hoc ex praesenti loco planum est, quanam sit interpretationum scripturae norma ac regula, nimirum *Fidei analogia*, ut cujusvis loci explicatio talis sit, quae ad totum systema *interpretationis*, doctrinae Christianae exacte congruat, & in nullum fidei articulum aut expressum Dei verbum impingat.

V IX.

Reijcitur ergo divina autoritate perversa eorum ratio, qui dicta scripturae non ad fidei, sed ad rationis humanae lancem exigunt: quam tamen in obsequium fidei captivandam esse, Spiritus sanctus monet. 2. Cor. 10.

X.

Nec minus culpanda est eorum perversitas, qui tantum ad *Analogia recte est ponderanda.*
unum membrum religionis Christianae respicientes, aliqua non minus necessario credenda evertunt, & in peregrinam sententiam detorquent, praetextu hujus analogias.

X I.

Vt enim ferendus non est interpres, qui ex eo, quod Deus unus in scripturis credendus proponitur, Trinitatem evertere velit. Ita justam reprehensionem incurrit, qui eò, quod Christus verè humanam naturam assumpsit, corpus Christi in coena esse pernegat: Vtrumque enim eadem Scriptura simul credendum proponit, utrumque pari pietatis affectu esse amplectendum docet.

XII.

Detestanda porrò est Pontificiorum impudentia & audacia, omnem ac plenissimam potestatem interpretandi Scripturas Papæ suo, & quibus ipse interest ac præest concilij, in solidum ita ascribunt, ut eum cum raso & uncta caterva aberrare posse à scripturæ mente, vel in articulo aliquo fidei, pernegent.

*Bellar. li. 3.
de verb.
Dei In-
terp. ca. 3.*

XIII.

Fingunt impudenter, Spiritum sanctum alligatum esse Episcopis, & imprimis Episcopo sedis Romanæ, ita, ut in scrinio pectoris illius omnia religionis arcana asserventur, quæ ubi ex-promere illi visum est, ad omnes religionis controversias decidendas, sufficient.

*Impudens
Iesuitarum
mendacium.*

XIIII.

Patiamur sanè gentem papisticam turpem istam servire servitutem, ut omnia Papæ σκίβαλα, ac somnia pro divinis habeat & exosculetur oraculis: Nos eam non divina autoritate, non ratione, non experientia, sed mera tyrannide atq. insolentia niti, intrepidè affirmamus.

XV.

Cedo, quoniam scripturæ testimonio asseritur, Pontificem Romanum cum Concilio esse Scripturæ interpretem exceptione majorem & omnino infallibilem? Allegant quidem locum Exodi 18. de Mosis officio & autoritate: Sed is tum demum congruit ad Papam Romanum, ubi probatum dederint, hunc illi & vocationis extraordinariæ ac Propheticæ dignitate, & cœlestium patefactionum luce parem esse. Quam æqualitatem ad Græcorum calendas Iesuitæ sunt ostensuri.

*Moses &
Papa con-
veniunt ul
Christus et
Belial.*

XVI.

Consimile est, quod ex 17. cap. Deuteronomij desumitur, ubi populus Israeliticus dubitans de lepra aliave causa, remittitur ad iudicium Summi Sacerdotis & iudicis: Hujus generis loca sunt Eccles. 12. 2. Pet 19. Matth. 23 Actor. 15. Ergò Papa Romanus cum concilio pro autoritate possunt interpretari Scripturas.

XVII.

Multiplex fraus hisce argumentis inest: Summus enim Sacerdos in populo Dei divina autoritate fuit constitutus: Papa Romanus per operationem Satanæ primatum in omnes acqui-

Theff. 2.

livit

fivit Ecclesias. Ille unâ cum iudice, hoc est, Magistratu politico controversiam definit: Hic solus cum rata sua turba id agere vult, Illorum sententia disertè astringitur ad Legem: Hic non vult suam interpretationē exigere ad verbi divini normam: Sed suas opiniones loco regulæ & normæ proponit, ad quas vox divina restringenda sit. *Dent. 17.*

XVIII.

Deniq; locus Dent. 17. non de interpretatione Scripturæ agit, sed de talium causarum decisione, quarum dijudicatio spectabat ad iudices cujusque loci: Horum enim sententijs variantibus, remittuntur litigantes ad supremum Magistratum: Sed ex adversariorum sententia non licuit iudicibus cujusvis loci de Legis divinæ interpretatione quicquam statuere. Sed plena figmenti Pontificij refutatio aliò remittenda est. *Specialis declaratio loci Dent. 17.*

XIX.

Neque sanè hoc in quæstione est, utrum controversiæ difficiles in religione ad iudicia Theologorū sint remittendæ, quorum in rebus Theologicis dijudicandis majorem usum atque dexteritatem esse, consentaneum est. *Ut cause forenses ad Ictos, Morborū ad Medicos remittuntur.*

XX.

Sed utrum Theologis aut Sacerdotibus solis sit absoluta potestas interpretandi Scripturam, & quidem talis, ut reliqua hominum multitudo simpliciter illis assentiri teneatur.

XXI.

Quæstionem determinat Spiritus sanctus hoc loco, docens, Prophetiam analogam esse debere, non rationi, non opinionibus doctorum, non sensui Pontificis Romani, sed Fidei, hoc est, Interpreti doctrinæ Christianæ, ita, ut in nullum fidei articulum impingat, Scriptura enim non est privata *ἐπιλύσεως* 2. Pet. 1. Ipsa igitur interpretatio exigenda ad normam suam, non contra, scriptura torquenda ad sententias doctorum aut interpretum. *Interpretationum examen.*

XXII.

Patet denique ex hac regula, Interpretem Scripturæ, etsi non semper assequatur alicujus loci genuinam sententiam, culpam tamen aut pœnam mereri nullam, si hoc dat operam, ne analogiam fidei interpretatione sua evertat.

Tertia

TERTIA PARS.

Hæc pars capituli duodecimi complectitur enumerationem illustrium virtutum ad primam & secundam tabulam Decalogi pertinentium. Eæ sunt.

1. Dilectio proximi ἀνυπόκριτος, fugiens malum & adherens bono.
2. φιλοσογία erga Christianos omnes.
3. Reverentia, non tantum erga superiores, sed etiam erga inferiores.
4. Sedulitas.
5. Zelus.
6. Attentio accomodans se temporum difficultatibus sine peccato.
7. Spes.
8. Patientia.
9. Invocatio.
10. Beneficentia.
11. Hospitalitas.
12. Mansuetudo.
13. Candor.
14. Misericordia.
15. φιλανθρωπία, studium pacis & concordiae.
16. Humilitas.
17. Docilitas.
18. Diligentia in omnibus vitæ actionibus cavens scandala.

Harum virtutum definitiones & extrema petantur ex Regulis vitæ.

Circa finem inculcatur præceptum de mansuetudine & fugienda cupiditate vindictæ: vult enim Apostolus, ut locum demus iræ divinæ, cum Deus vindictam sibi soli reservarit. Hoc membrum aliqua explicatione dignum est propter Papistarum depravationes, qui id non ad præcepta, sed ad consilia retulerunt.

De Vindicta.

I.

*Consilia.
Evangelica.*

Quantum periculi sit in depravatione doctrinæ Legis, ostendit figmentum Synagogæ Romanæ de consilijs Evangelicis.

versan-

versantibus circa opera quædam indebita: Cujus corruptelæ
semina etiam in antiquis quibusdam Patribus occurrunt; Sed
in Papatu opiniones de consiliorum meritis & numero, in im-
mentum creverunt.

II.

In compilatione Bellarmini Consilia definiuntur opera
bona à Christo non imperata, sed demonstrata & commendata:
Eaque discernuntur à præceptis: Quod materia præcepti sit fa-
cilior consilij *difficilior*: Materia præcepti bona sit, consilij *melior*: Impuden-
Precepta dicunt communia esse omnibus, consilia *paucis*: Illa *tissimū*.
obligare homines, Hæc esse in *arbitrio* nostro posita: Illis pro *signentur*
posita esse præmia, his *majora*. Præceptorum violationi præ-
nas, consiliorum vero nullas esse decretas. *de consi-
lijs.*

III.

Hæc summa est doctrinæ Papisticæ de consiliorum defi-
nitione: At de numero inter ipsos non convenit: Faterur idē
scriptor multa esse verè & propriè consilia Evangelica: sed
præcipuè tria: Continentiam, Obedientiam & Paupertatem, *Consilium
de caliba-
tu fingi-
tur meli-
& diffi-
lius præce-
pto de dile-
ctione Dei
ex toto
corde quod
est falsissi-
mum.*

IV.

Refutationem impudentissimi huius commentii, quo
sanctissima & perfectissima opera à Lege Dei requisita, videli-
cet vera & salvifica Fides, spes, ardens dilectio Dei & proximi,
vera invocatio, & celebratio nominis divini, patientia in cruce
& similia, quæ nunquam perfectè in hac vita præstari pos-
sunt, longè postponuntur impuro cælibatui, opulentæ pau-
pertati & susceptæ obedientiæ Monachorum Iesuiticorum,
qui hisce rebus tanquam difficilioribus ac melioribus majora
mereri præmia volunt, quâ pietate 1. Tim. 4. in aliam occasi-
onem volente Deo differemus. Nunc quia etiam vindictæ o-
missionem inter consilia ijdem retulerunt, de ea saltem aliquid
subijciemus.

V.

Finxerunt olim Monachi, prohibitionem vindictæ sæpius
in scriptura repetitam non esse præceptum, sed consilium. Li-
cere igitur vindictam exercere his, qui perfectioni non student;
Licuisse etiam in veteri testamento: At his qui perfecti esse per-
viam consiliorum volunt, eandem fugiendam esse.

D

Commen-

VI.

*Prohibi-
tio vindi-
ctæ non est
consilium.* Commentū hoc manifestis scripturæ testimonijs repugnat,
Rom. 12. v. 19. Non vindicantes vosmetipsos, Matth. 5. v. 39.
Ego dico vobis, nolite resistere malo. Et Deut. 32. v. 35. Soli
Deo vindicta reservatur: Stulti vindictam, Ego retribuam.
Nec non Apostoli Luc. 9. v. 55. vindictæ in Samaritanos cupi-
di, graviter eo nomine à Christo reprehenduntur.

VII.

Porro quinti præcepti explicatio, ut à Christo tradita est,
Matth. 5. manifestè ostendit, prohibitionem vindictæ non esse
consilij, sed præcepti.

VIII.

*Vindicta
privata, et
prohibita.* Diligenter autem considerandum est, quænam vindicta
prohibita sit: Non enim omnis simpliciter est hujusmodi. Est
igitur Vindicta prohibita, quando quis injuria læsus, iraq; ac-
census, vel ex intervallo vel in continenti ulciscendi animo
illegitimè malum pro malo reddit.

IX.

Duplex enim vindicta est, una privata, altera publica: Et
privata quidem ea est, cui competit descriptio ante posita, &
de qua hoc loco loquitur Apostolus, instituens privatam cu-
jusque hominis vitam.

X.

*Vindicta
privata
nunquam
fuit licita.* Falsò dicitur eam in Veteri Testamento fuisse licitã: Quod
enim sæpius dicitur de pœna talionis, animam pro anima, oculo
pro oculo, &c. Hoc quomodo intelligendum & acci-
piendum sit, patet ex Deut. 19. v. 21. quòd videlicet per Iudices
talis ferenda sit sententia. Privatos enim obligat Lex, Levit.
19. v. 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civi-
um tuorum.

XI.

*Vindicta
publica.* Vindicta publica est opus, quo Magistratus divina autho-
ritate injuriam vel Reipublicæ vel cuivis privato illatam, jux-
ta leges propulsat aut punit.

XII.

Pertinet hoc opus non ad privatum quemcunq; , sed tantum
ad Magistratum divinitus armatum gladio, ad coercendum
contumaces vi corporali, docet Apostolus Rom. 13. Exo. 23. v. 7.
Et

Et cum Magistratus legitimè animadvertit in fontes, non id facit impulsu privato, sed ex mandato Dei. Rom. 13. Minister Dei tibi in bonum.

XIII.

Peccant itaq; privati, arripientes jus usurpandi gladij contra proximum, ut Petri intemeritatem redarguit Christus: Qui gladium acceperit, gladio peribit: Matth. 26. v. 55.

Privatis non usurpandus gladius.

XIIII.

Peccat etiam Magistratus in exercenda vindicta publica, si id non faciat juxta leges amore justiciæ & tranquillitatis defendendæ impulsus, sed affectu aliquo vel cupiditate incitatus ut Achab occidit Naboth, 3. Reg. 21. v. 15. Herodes Iacobum, Actor. 12. v. 10.

XV.

Non minus est peccatum ejusdem, si vel impunitatem scelerum permittat, tum enim iram Dei sibi & toti populo attrahit, ut Num. 25. v. 4. patet: vel nimia sævitia & crudelitate in fontes animadvertat, ut Nebucadnezar rebelles Iudæos puniens, modum excessit. Zach. 1. v. 15. Esa. 10. v. 15.

Impunitas scelerum Magistrati est noxia.

XVI.

Vt autem injuria infertur vel toti Reipublicæ vel singulis membris, ita diversimodè Magistratus eandem vel propulsat vel punit. Est enim illi cura non tantum totius corporis, sed singulorum quoque membrorum mandata, Rom. 13.

XVII.

Fit autem duobus modis, vel judicio, vel bello; quorum utrumq; vel ad propulsandum vel ad puniendum spectat.

XVIII.

Concessa hæc esse Christianis, nimirum judicia exercere, & bella legitima gerere ac in illis militare, contra Anabaptistarum furores asserimus.

Bella concessa sunt.

XVIII.

Interim dum bella justa & judicia defendimus, non patrociamur vitijs, quæ in utrisque ut plurimum occurrunt, magno numero vitia judiciorum reprehendit Paulus, 1. Cor. 6.

D 2

Referenda.

XX.

Referenda autem est vindicta publica ad gloriam Dei, qui vult pœnas fontibus inflictas esse spectacula irę suę adversus peccata, ad defensionem justicię & innocentię & conservationem societatis civilis, Et tamen ubique temperanda est misericordia & charitate, quantum salva justicia liceat.

Corollarium.

In casu necessaria defensionis tutela privati cujusq̃, servato justo moderamine, non est culpanda.

Errata.

A 6. lin: 11. pro pauci lege parvi. B lin: 11. lege luculentè. C 2. fac: a lin: 10. in marg: lege Evangelij.

Soli Deo Gloria

FINIS.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







DISPUTATIO DECIMAQUARTA,
**EX EPISTOLA PAU-
LI AD ROMANOS, PROPONENS**
ἀνάλωσις capitis duodecimi.

*Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia,*

**PRÆSIDE DAVIDE RVN-
GIO S. THEOLOGICÆ DOCTORE ET PROFESSO-
re in Academia Vitebergensi, in collegio disputas-
tionum Theologicarum privato, defenso**
det 2. Aprilis

**M. VVOLFFGANGUS STAR, IUDENBUR-
gensis Styrius.**



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.

Anno M. D. IIIIC.